



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

LXIV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

\*Sophia

interfecti sunt. Cumq; tali euentu gauderet tota Italia, Romani inuidia ducti suggererunt Iustiniano & \* Suffinae, quia Romanis magis expetierat Gothicis seruire, quam Græcis, vbi Narfes Eunuchus imperat. Quod Narfes audiens de Roma venit Campaniam, & indignatus scripsit genti Langobardorum, vt venirent, & possideret Italiam. Quæ omnia, vt cognouit Ioannes Papa, festinus venit Neapolim, & obtinuit à Narfete, vt reuerteretur Romam: qui relicta Italia, p qua valde laborauerat, Constantinopolim redire decreuerat. Vtrique ergò reuerfi sunt. Et sanctissimus quidem Ioannes habitauit multo tempore in cimiterio Sanctorum Tiburtii & Valeriani. Narfes verò Romam ingressus post multum temporis mortuus est. Sanctissimus quoq; Ioannes & ipse mortuus sepultus est in basilica B. Petri Apostoli. Et cessauit Episcopatus mensibus 10. diebus 3.

## LXIV.

**B**ENEDICTVS, natione Romanus, de patre Bonifacio, sedit annis 4. mense 1. diebus 29. Eodem tempore gens Langobardorum inuasit omnem Italiam, simulq; & fames nimia adeo, vt etiam multitudo castrorum se traderet Langobardis, vt temperare possent ab inopia famis. In istis itaq; laboribus & afflictionibus positus sanctissimus Papa mortuus est, & sepultus in B. Petri Apostoli basilica in secretario. Et cessauit Episcopatus menses 3. dies 10.

## LXV.

**P**ELAGIVS, natione Romanus, de patre Vnigildo, sedit annis 10. mens. 2. dieb. 10. Hic ordinatur absq; iussione Principis, eo quod obsiderent ciuitatem Romanam Langobardi, qui Italiam multa vastatione infestabant. Cuius temporibus tantæ pluuiæ fuerunt, vt omnes dicerent, quia aquæ diluuii superinundauerunt, & talis clades fuit, qualem à sæculo nullus meminit fuisse. Hic mortuus est, & sepultus ad B. Petrum Apostolum. Et cessauit Episcopatus menses 3. dies 25.

## LXVI.

**G**REGORIVS, natione Romanus, ex patre Gordiano, sedit annis 13. mens. 6. diebus 10. Hic exposuit homilias Euangeliorum, & multa alia, quæ enumerare non possumus, adiecitq; in canone. *Dies nostros in tua pace dispone, &c.* Misit etiam prædicatores ad gentem